

8.

Nos . . comes de tali loco tenore presencium simpliciter et publice profitemur, quod nos presentes fuimus, vidimus et audivimus, ubi nobilis t(alis) discreto et industrio viro t(ali) civi creditori suo CC marcas arg(enti) apud Iudeos tales post libertatis eisdem Iudeis indulte tempus percipiendas pro suis debitis deputavit. Et ex eo quod huic deputacioni interfuimus, ipsum civem, ut quod sibi deputatum est integre et tempore debito percipere valeat, libentissime sine dolo quolibet volumus promovere. Dantes sibi has.

41. Item defensionis commissio.

Sollicitudini tue dominas de t(ali) loco decrevimus committendas, auctoritate nostra tibi firmiter iniungendo, quatinus eis nomine regio sic presis, ut prosis, et tuo interveniente proteccionis umbraculo nullius iniuriosi turbatoris nubilo molestentur, ut eo liberius divinis valeant laudibus insudare.

42.

Fidelitati tue committimus et mandamus, quatinus nobilis viri t(alis) possessionibus te diligencius intromittens taliter tamque provide et proficue de bonis disponas huiusmodi, ut proinde tibi merito teneri debeamus ad condigni beneficii recompensam.

43.

Ex parte t(alis) dilecti familiaris nostri culmini nostro declaratum existit, quod t(alis) ministerialis tuus ipsum incendiis et rapinis intollerabilibus multipliciter vel graviter afficit et perturbat. Propter quod discrecionem tuam att(entius) requirimus et hortamur, quatinus predictum ministerialem tuum, ut ab ipsius N. dispendiis et gravaminibus se contineat et de hiis, que dispendiose sibi intulit, emendam exhibeat congruam, pro nostra reverencia inducere non omittas. Parati enim etc.

44.¹

Super tam pia et fidei sinceritatis vestre legacione, quam providus et discretus vir t(alis) vester nuncius exhibitor presenc(ium) culmini nostro discrete proposicionis eloquio proposuit et exposuit eleganter, vobis, qui, prout ex ipsius legacionis serie collegimus, nos et nostrum honorem fideliter prosequi non cessatis, ad graciaram acciones

¹) An einen hohen Geistlichen, vielleicht einen Cardinal gerichtet.